


Les pratiques poétiques dans la littérature emblématique néo-latine

1a. ANDREAE ALCIATI *Emblematum Libellus*, Aldus, Venitiis, MDXLVI, f° 27v^o



Avec ponctuation modernisée :

Nupta contagioso

- Dii meliora piis, Mezenti ! — Cur, age, sic me
Compellas ? — Emptus quòd tibi dote gener
Gallica quem scabies dira et mentagra perurit.
Hoc est quidnam aliud, dic mihi saeue pater,
5 Corpora corporibus quàm iungere mortua uiuis
Efferaque Etrusci facta nouare ducis ?

1b. VIRGILE, *Énéide*, 8, 481-488 (éd. J. Perret) :

Hanc [= Agyllam] multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni
Effera ? Di capiti ipsius generique reseruent !
485 Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis
Componens manibusque manus atque oribus ora,
Tormenti genus, et sanie taboque fluentis
Complexu in misero longa sic morte necabat.

1c. ÉRASME, *Colloquia*, « "Αγαμός γάμος siue coniugium impar », éd. Léon F. Halkin, Franck Bierlaire, René Hoven, *Erasmi Opera omnia*, ASD, I-3, 1972, p. 590-600, ici p. 596 :

Petr. Vera praedicas. Mihi plane uidetur hoc factum Moezentio dignum, qui mortua, ut inquit Maro, iungebat corpora uiuis, componens manibusque manus atque oribus ora. Quanquam nec Moezentius, ni fallor, tam immanis erat, ut tam amabilem puellam cadaueri iungeret : nec ullum cadauer est, cui non iungi malis quam tam putido cadaueri. Si quidem hoc ipsum quod spirat, merum est uenenum ; quod loquitur, pestis est ; quod contingit, mors est.

1d. ALCIAT, *Commentaria in titulos Digestorum seu Pandectarum*, Bâle, Guarino, 1582, t. 1, p. 480 [lib. 24, tit. 3 : *Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur*]

[MATRIMONIO] Soluebatur iure isto matrimonium tribus modis, morte, diuortio et seruitute. Hodie uerò morte duntaxat soluitur, quia in Euangелиo dicitur, quos Deus coniunxit, homo non separat¹ [...] Dispensat tamen quandoque Romanus Pontifex, et ex causa coniugium nondum concubitu consummatum dirimit, rarissime si concubitu sit confirmatum, et fere non nisi regibus hoc indulget, quod haud sane posset si omnino uera esset Augustini sententia². Aduersus enim legem diuinam, uix est ut ulla sit relaxatio. Sanè iure nostro licet diuortio soluatur matrimonium, tamen non licet absque causa id facere, restrinxitque lex certos modos, quibus fieri impunè possit. Sed an hodie illi modi sufficient separationi tori ? Et constat non sufficere, cùm sola causa fornicationis excepta sit, quae tamen exceptio latiùs accipitur, siue spiritualis sit, i. e. haeresis et impietas in Deum, siue Venus praepostera ; ex hac enim causa receptius est esse separationi locum. Quod et à Siculo³ responsum est. Sed quid si maritus morbo Gallico, ut uocant, laborat ? Videt nec hoc quidem separationi sufficere, sicut nec lepra sufficeret. Quod uerum, nisi ignorans mulier talem in uirum accepit, non acceptura, si sciuisse. Certum enim est saltem in foro conscientiae tutam eam esse, quamuis sui copiam illi facere detrectet. Si enim iudicio medicorum euidens contagionis periculum immineat, non erit ei tentandus Deus. Quod certius procederet, si post matrimonium contractum eo morbo uir laborare coepisset, cùm sui delicti et praesumptae fornicationis det poenas.

1e. Épitaphe attribuée à Antonio Capodilista (1420-1489) et citée par Juan Luis Vives, (*De institutione Christianae foeminae*, Anvers, Michael Hellenius, 1524, f° Lii v° :


Immitis ferro secuit mea colla maritus
Dum proprio niuei soluere uincla pedis,
Durus et ante thorum nuper quo nupta coiui,
Quo cecidit nostrae uirginitatis honos,
Nec culpam meruisse nec em bona numina testor,
Sed iaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo lustinae, discite, patres,
Ne nubat fatuo filia uestra uiro.

¹ Matth. 19, 6-7.

² Ad Pollentium de adulterinis coniugis, 2, 8.

³ Siculus Flaccus, agrimensor romain du II^e s

2a. ACHILLIS BOCCI, *Symbolicarum quaestionum... libri quinque*, Bononiae, In aedibus nouae academie Bocchianae, MDLV



éd. modernisée (Achille Bocchi, *Les Questions symboliques*, éd./trad./com. Anne ROLET, Rennes-Tours, PUR/PUFR, 2015, t. 1, p. 302-304) :

[S p. 251^o; 1555 p. LVII/f^o Hr^o; 1574 LXI]

MATERIEM PRIMAM MENS NOTHA SOLA TENET

Symb. XXVIII

Orta salo, uro salum atque solum caelumque profundum,
Vna ego corrumpens omnia progenero.
A me omneis Natura creat res, auget alitque,
In me res omnis rursum eadem soluit.
At licet hac uidear quae picta est, praedita forma,
Omni forma prorsum ipsa tamen careo.
Sümque mea ac propria ratione incognita prima
Materia illa ego, quam mens notha sola tenet.

apparatus criticus

num. XXVIII 1555 1574: XXIX S; 29 S, f^o 24v^o l. m. || **tit. pict.** PRIMA TENET PRIMAS RERVM SAPIENTIA CAVSSAS
S p. c. 1555 1574: MATERIES HAEC PRIMA NOTHAE MODO COGNITA MENTI *S a. c.* (cf. *tit. carm.*) || **tit. carm.** MATERIEM : IN MATE- *S p. c. 1555* ; -RIAM 1574.

ANNOTATIONES

Ex l. vulgo cōcepti. de statu hominū.

- Spurius.** **C**Quí & spuriū appellātur. Plutarchus in probl. de hoc vocabulo loquens ita inquit. Spurius primum nomen est apud Romanos ut Sextus & Decimus & Gaius. Prima aut nomina nō tota scribūt. Sed aut vna littera ut T. Titū: aut duabus ut Gn. Gneū: aut trib⁹ ut Sex. Sextū & Ser. Seruiū. Sic Spurius. Sp. scribebat: eos aut q sine patre erāt: qui apatores grēce dicitur. s. & p. designabāt. q. sine patre. Hoc errore factū ut spuriū sine patre dicerētur. Hec ille. Ceterū quos vulgo bastardos vocamus interdum spuriū dicī possunt: interdū nō possunt: ut hī quos prīcipes agnoscere so leniter solent qualiq adoptare qđ vulgo adouere dicimus. Nothi enim verbo grēco appellātur nō spuriū. Quintil. libro tertio. Nothus ante legi timū natus legitīmus filius sit. Post legitīmū natus: tātum, ciuīs. Et paulo post. Nothum q nō sit legitīmus grēci vocāt: latinum rei nomen ut Cato quadam quoq oratione testatur non habemus: ideoq vtīmū peregrino. **Nothia.** **N**othia grēci appellāt neutro genere & numero plurali eā partē quæ ex bonis paternis lege Athenienſiū nothiſ dari poterat. Hinc factū ut grēci nothūm appellēt quicquid nō legitīmū esse volūt nec verum: ut nothūm attīcīmon dīcunt: nō verum schema attīcum sed adulterīnū spuriūq: cōtra gnesiū attīcīmon dīcunt: verā germanam legitīmāq: attīcorū ele gantia significantes. Bessarīo spuriā cogitationē appellat quam grēci nothen dianēan dīcūt: quasi Spurius latīne sit nothus. ut spuriōs versuſ dīcīmus nō q nullum auctōrē. q. patrem habeant: vt nōnulli putāt: sed q grēci huiusmodi versuſ notheuomenos appellant. q. adulterīnos. Plato īgitur auctōre Bessarione (aut eo potius viro latīne doctissimo qui auspi ciūs eius latīnū illum librum fecit) materia elementare: id est hylen pri mā informē ex qua elementa discreta sunt: cogitationē tātum spuriā intelligi posse aīt: hoc est materia tantum: sequestrata omni forma: diuī sione: figura: magnitudine: quæ apta sit omnes has & huiusmodi qualita tes recipere. Quia enīm nō per formē innīxū ac firmitatem: sed per nega tionēm sequestrationēq formarū omniū quasi vacillante cogitatione ma teria intelligitur: ideo cogitationē spuriā dīcītur comprehendī. Nā ea quæ per habitūm & formām fit: legitīma cogitatio est. Aristotēles autem per analogiam: id est proportionē hanc intelligendam fieri autumat: quod idem late explicat. Spuriā cogitatio μόθος λογισμός dīcītur. Philoponus ī pri. posteriorum analy. Διόπερ ηλήνη τῶν ἑαντῶν λόγω ἀγροσος: δος ἀνείδεος: μόθος θεος λογισμός ληπτή δοσος ταλάτωφοι. Id est. Itaq materia sua ac propria ratione incognita: ut quæ forma careat: spuriā cogitatione vtīq comprehendī potest: ut inquit Plato.

Ex lege quarta de adoptionibus.

- Actio legis.** **C**Magistratū apud quē legis actio est. Accursius existimauit legis actio nem legitīmos actus significare qui voluntariē iurisdictionis sunt ut emācipatio & huiusmodi. Nos autē aliter existimamus. Lege agere verbū est iuris antiqui. Cicerō p Murena de Gn. Flauio qui Appi Claudiī librū vulgauit. Posset agi lege nec ne pauci quōdā sciebāt: Faltos em̄ vulgo nō ha

Transcription du passage avec ponctuation et orthographe modernisées :

Hinc factum ut Graeci nothum appellant quicquid non legitimum esse uolunt nec uerum, ut nothum atticismon dicunt non uerum schema Atticum sed adulterinum spuriumque ; contra gnesium atticismon dicunt ueram, germanam legitimamque Atticorum elegantiam significantes. Bessario spuriam cogitationem appellat quam Graeci nothen dianoean dicunt, quasi spurius latine sit nothus : ut spurios uersus dicimus, non quod nullum autorem quasi patrem habeant, ut nonnulli putant, sed quod Graeci huiusmodi uersus notheuomenous appellant, quasi adulterinos. Plato igitur autore Bessarione⁴ (aut eo potius uiro Latine doctissimo qui auspicis eius Latinum illum librum fecit) materiam elementarem, id est, hylen primam informem, ex qua elementa discreta sunt, cogitatione tantum spuria intelligi posse ait, hoc est, materiam tantum abstracta omni forma, diuisione, figura, magnitudine, quae apta sit omnes has et huiusmodi qualitates recipere. Quia enim non per formae innixum ac firmitatem, sed per negationem sequestrationemque formarum omnium, quasi uacillante cogitatione materia intelligitur, ideo cogitatione spuria dicitur comprehendendi. Nam ea quae per habitum et formam fit, legitima cogitatio est. Aristoteles autem per analogiam, id est, proportionem, hanc intelligentiam fieri perhibuit, quod idem late explicat⁵. Spuria cogitatio νόθος λογισμός dicitur. Philoponus in pri. Posteriorum analyt. Διόπερ καὶ ἡ ὥλη τῷ ἐστῆς λογῷ ἄγνωστος ὡς ἀνείδεος, νόθῳ δὲ λογισμῷ ληπτή, ὡς ὁ Πλάτων φησι⁶, id est : Itaque materia sua ac propria ratione incognita, ut quae forma careat, spuria cogitatione utique comprehendendi potest, ut inquit Plato.

⁴ In calumniatorem Platonis... libri IV, Venise, Alde, 1503, 2, 5, p. 18v°.

⁵ e. g. Physique, 1, 7, 191a.

⁶ In Aristotelis analytic a posteriora commentaria, vol. 13, 3, p. 332, éd. M. Wallies, Berlin, 1905 : [...] διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἡμᾶς ἐπιβλητικῶς τὴν φύσιν αὐτῆς ἔχειν διὰ τὸ μηδὲν εἶδος ἔχειν.